DE

METRORRHAGIA

GRAVIDARUM ET PUERPERARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE HALENSI
UT
SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA
RITE ADIPISCATUR
HONORES
DIE XXIII. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVII.
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERIC. GUILELM. WENDT
SEDLINEN - BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
TH. I. IWERSEN MED. CAND.
A. CLAREN MED. CAND.
A. GRUENER MED. CAND.

HALAE
TYPIS EXPRESSIT CAROLUS GRUNERT.

MANIBUS

PATRIS OPTIMI DILECTISSIMI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Omnium, quibus uterus, sive accidunt inter graviditatem, sive post partum, obnoxius est casuum, nullus certe tam perturbans atque infestus est, quam haemorrhagia, quum plurimas feminas vel inter graviditatem, vel in puerperio defunctas hoc morbo obiisse experientia satis comprobatum sit. Quam ob rem, quum propter frequentiam cuique medico maximi esse debeat ponderis, ego quoque, diligentius in eo ut versarer inductus, quae de eo monenda sint, huic chartae tradam.

Symptomatologia.

Haemorrhagia uteri interdum quidem, ut ceterae subito intrat, saepius vero prodromi praecedunt, qui praecipue congestiones ad organon affectum indicant, quorumque praestantissimi sunt: dolores in femoribus, in regione lumbali et abdomine, tractus dolorifici artuum, stranguria, calor et meteorismus abdominis. Ad haec non raro genitalia externa intumescunt, impetus coitus nimius, interdum etiam pruritus in perinaeo, tensio in mammis et secretio humoris serosi e vagina. Non raro etiam status febrilis haecce terrentia comitatur; pulsus frequens frigus sequente calore etc. —

Ceterum symptomata in variis haemorrhagiis, quoad causas, tempus et accidentia, magnopere variant, quocirca sequente capite accuratius de iis sermo erit.

Differentiae.

1) Primum, si diagnosin respicimus, metrorrhagia aut est aperta, aut occulta; in priori sanguis effusus per vaginam extrorsum defluit; diagnosis ergo ne minime quidem dubia est. Alterum fit, si sanguis aliquo impedimento quominus in lucem proferatur, impeditus vel in utero remanet, vel in cavum abdominis delabitur, et hic cognitio difficillima. Propterea manum in vaginam inferre debemus et contrectare, num orificium coagulo sanguinis sit clausum, quo remoto sanguinis copia prorumpet. Saepenumero vero orificium non clausum, et tamen aegrota subito expallescit, extremitates frigescunt, pulsus considit, vix sensibilis et brevi modo valde tardus, modo celerrimus; mox anxietas, anhelatio et inquies, vertigo, tintinnitus aurium, nausea, vomitus, syncope et convulsiones accedunt; hic symptomata, quae profusionem sanguinis internam comitantur, medicum ducere debent. His iisdem signis etiam illae haemorrhagiae internae cognosci debent, quae ruptura uteri vel tubarum sanguinem in cavum abdominis dimittunt, quod vero similius adhuc fit ea re, quod in momento ruptionis femina gravida dolorem obtusum certo loco sentit et strepitum crepantem, quod interdum etiam a circumstantibus percipitur, audit.

2) Durationem, quod attinet, metrorrhagia modo brevius, modo longius tempus moratur.

3) Typus interdum intermittens est, et tum haemorrhagia sub forma febris perniciosae intermittentis apparet; saepius est remittens; interdum periodicus, praesertim, quum haemorrhagia loco priorum catameniorum intrat; ubi vero desorganisationes haemorrhagiae uteri causa sunt, facile habitualis fit.

4) Sanguis effusus, si ex arteriis profluxit, neque longius in utero remansit, arteriosus, contra venosus, fere niger, et graveolens; denique si fortasse fluor albus vel ulceratio in utero exstant, muco, pure sanieque inquinatus est.

5) Metrorrhagia modo simplex, modo complicata est cum aliis morbis; idque quidem cum fluore albo, desorganisationibus uteri, metritide acuta vel chronica, interdum etiam cum febribus intermittentibus, biliosis et rheumaticis.

6) Gravissima differentia indoles dynamica est. Saepius enim eam invenies sthenicam, eamque apud feminas robustas et plethoricas ex omnibus illis causis, quae omnino morbis sthenicis favent, exempli gratia cibis affectionibusque excitantibus animum, vehemente corporis motu, et quae sunt cetera. Haemorrhagiae eiusmodi plerumque intrant magno cum frigore, sunt fere semper intermittentes, et plura vel pauciora symptomata metritidis acutae eas comitantur. Liquor effusus primum serosus est, mox autem rubrior fit et postremum plane sanguineus. Haemorrhagia raro profusa fit et aegrotae levamen affert.

Haemorrhagia erethica plerumque molestiis spasticis, pulsu parvo et frequente, extremitatibus algidis et calore fugace coniuncta est. Femina aegrota tin-

tinnitu aurium, scotomatibus laborat, modo rubescit, modo expallescit, cephalalgiam, dolores lumborum, nauseam, horripilationes et palpitationem cordis queritur. Haemorrhagia plerumque vehementior quam sthenica, et tantum abest, ut levaminis aliquid aegrotae afferat, ut eam debilitet; imo si sanguinis amissi copia nimia, celeriter omnia symptomata profusionis sanguinis internae irruunt.

Denique metrorrhagia paralytica ex causis et symptomatibus comitantibus cognoscitur. Exoritur praecipue omnibus iis rebus, quae sanguinem deperdunt, apud feminas laxas, tumidulas, easque, quae modo graves morbos superaverunt. Febris fere nunqum adest, haemorrhagia autem tanta, ut aegrota in summo periculo versetur, et sine celeri auxilio vixdum vita servari possit.

Aetiologia.

Causae metrorrhagiae omnino quidem eaedem sunt, atque aliarum haemorrhagiarum; partim externae partim internae, omnes autem eo inter se conveniunt, quod morbum uteri topicum haemorrhagiae faventem, aut in totum systema sanguiferum influentem provocant.

Quod primum causas externas attinet, praecipue omnes vehementes perturbationes abdominis hic nominandae sunt, saltus, saltatio, ictus, porro coitus vehementer vel saepius exercitus, praesertim tempore, quo solita catamenia redire solebant, vel tertio mense, quo uterus altius descendit, et a pene facile irritatur;

item pessaria irritantia, ascarides in vagina, vomitus vehemens, sternutatio vel risus immodicus; non minus strophia, quae liberum sanguinis per totam peripheriam corporis circuitum imo per pulmones et vasa abdominalia impediunt, totamque sanguinis molem organa interna quaerere cogunt.

In causis, quae in totum systema sanguiferum influunt, praecipue autem in illud uteri, prae omnibus sunt numerandae abusus potulentorum spirituosorum et medicaminum aromaticorum, imprimis eorum, quae dicuntur Emmenagoga, Abortiva et Diuretica acria, porro febres acutae inflammatoriae sine et cum exanthemate, inflammationes organorum pectoris, abdominis et pelvis, praecipue metritis, sive acuta, seu chronica, sicuti etiam nimia salacitas.

Saepe etiam metrorrhagia exsistit propria feminarum indole. Sicuti enim feminae omnino magis ad haemorrhagias inclinant, ita praecipue vita pigra, constitutio laxa iis obnoxiae sunt.

Adiuvatur metrorrhagia certe etiam mala consuetudine feminarum, tam tenuibus vestimentis utendi, quo fit, ut frigus sanguinem a peripheria repellat, congestionesque ad organa interna efficiat, ad quas uterus gravidus iam per se inclinat. Petrus Frankius se observasse narrat, feminas, quarum catamenia spasticae affectiones comitari solerent, quaeve per longius tempus blennorrhoea uteri laboraverint, persaepe metrorrhagiae obnoxias fuisse.

Alia metrorrhagiae fons est graviditas ovaria, tubaria et interstitialis, in quibus, sicuti ovum certam quandam magnitudinem assequutum est, illa organa

rumpuntur, quod plerumque tertio mense evenit. Haemorrhagia, nisi apud graviditatem interstitialem, neque hic semper, introrsum fit, et tantum repentino dolore vehementissimo, et strepitu crepante, quem iam monui, non tantum gravidam ipsam, sed saepe etiam circumstantes audire, cognosci potest, sicuti ex celeriter sequentibus symptomatibus haemorrhagiae internae.

Interdum indoles ad haemorrhagiam uteri hereditaria observata est, sicuti prima facile recedit. Saepius autem causa sola in nimia uteri sensibilitate quaerenda est, quae non raro in certis graviditatis periodis atque sub conditionibus haemorrhagiam producit, quae alioquin eam non fecissent. Ceterum non obliviscamur, constitutionem corporis in haemorrhagiam maximo influere. Sic metrorrhagia sthenica apud feminas robustas, plethoricas, si bene edentes pigritiae se dedunt; metrorrhagia erethica apud teneras, sensibiles, ad spasmos et syncopen proclives, metrorrhagia paralytica praecipue apud feminas laxo habitu praeditas reperitur, item omnibus iis, quae sanguinem depravant, parco nutrimento, aegritudine, moerore, tristitia, sollicitudine, saepenumero metrorrhagia paralytica cachexiam scorbuticam vel morbum maculorum Werlhofii comitatur; valde adiuvatur excessu in Venere, praesertim prima iuventute, sicuti altera parte amore sexuali, cui non satisfit.

Alia causa metrorrhagiae affertur vasibus uteri sanguiferis, apud explorationem internam, vel inter partum laesis, sicuti varicibus, aneurysmatibusve ruptis, quod ultimum ex ea re cognoscitur, quod haemor-

rhagia non vehemens quidem fuit, sed saepius redit. Saepe autem haemorrhagia non tam ex ipso utero, quam ex ruptura orificii originem capit, quum, ut apud primiparas semper, capite foetus frangatur; hoc genus exploratione facile detegendum.

Inter gravissimas frequentissimasque causas, quae in graviditate metrorrhagiam efficere possunt, sine dubio avulsio placentae vel ovi partialis numeranda est. Decidua enim separata, lumina vasorum dilatatorum uteri maiorem minorem copiam sanguinis effundunt. Si tantum corii pars avulsa est, haemorrhagia minor est, quia vasa uteri illic minus explicata sunt, maior iam est, si placenta soluta est, maxime vero si placenta orificio uteri adhaeret, vel cum margine tantum ei imposita est. Quum enim placenta collo vel orificio uteri adhaeret, plerumque circa mensem octavum, vel aliquid serius, ubi uterus magis explicatur, segmentumque huius organi inferius maiorem laxitatem ostendit, fit, ut placenta a facie interiori uteri separetur, quam ob rem iam levissimis causis haemorrhagia efficitur, quae praecedentibus levibus doloribus in regione lumbali apparet, si femina per longius tempus stetit, vel ivit, vel alio quodam modo magnas corporis molestias suscepit; praecipue autem, si manus valde supra caput porrigit. Item omnes illae excitationes, quae orgasmum sanguinis uteri efficiunt, facile avulsionem placentae afferre possunt, quin interdum sponte fortasse accidere potest, orificio uteri tum temporis iam satis aperto. Sanguinis copia iam ab initio tanta est, ut haemorrhagia non facile cum mensibus redeuntibus confundi possit, plerumque sponte desinit, mox autem et

quidem tanta vehementia redit, ut aegre tantum sedari possit. Diagnosis haemorrhagiae, placenta oblata oriundae, facilis, digitus invectus confestim causam deteget. Antea fere omnes opinabantur, metrorrhagiam in graviditate semper separatione placentae effici; sed haec sententia non plane vera; certe saepe ante partum absolutum praesentiam metrorrhagiae non semper contendere licet. Etenim si placenta, vel velamenta foetus parva tantum parte avulsa sunt, neque in margine, sed potius in medio ita, ut tanquam fossa omnibus partibus circumvallata formetur, sanguis quidem amitti potest; quum autem nusquam extrorsum defluere possit, tanquam trombum efficit, profusionem sanguinis longiorem prohibet, et si quoque non semper, tamen nonnullis casibus placentam iterum cum utero concrevisse observatum est. Metrorrhagiam vero avulsione placentae vel velamentorum foetus exortam esse hisce signis cognoscas: femina dolorem obtusum in ea regione sentit, interdum dolori colico, interdum eo similem, qui menstruationi intranti antecedere solet. Ea pars uteri, in quam extravasatio fiebat, intumescit, et brevi tempore uterus maiorem circumferentiam assequitur, et si copia sanguinis effusi magna erat, firmior, tensior maiorque sentiri potest; vires celeriter collabuntur et ipsa syncope interdum apparet. Inter partum saepissime metrorrhagia spasmo uteri efficitur. Nam quum tantum contractio totius uteri haemorrhagiam impedire possit, tamen et statum vasorum, quoad nervi uteri in illa influant, respicere debemus. Si qua res excitationem nervorum uteri affert, totum etiam systema sanguiferum in actione tenetur, quacum semper re-

laxatio magnae partis fibrarum coniuncta est, inprimis, si spasmus parvam tantum partem afficit. In hoc ergo casu pars uteri relaxata non, quantum satis, contrahitur, qua de causa haemorrhagiam sequi debere, facile est intellectu. Haemorrhagiarum, quae post partum apparere solent, causis hoc commune est, quod necessariam uteri contractionem prohibent, quare etiam vasa sanguinem emittentia claudi nequeunt; atque sunt hic potissimum numeranda, placenta retenta, prolapsus uteri completus, inversio uteri, tractus imprudentes et vehementes funiculi umbilicalis, sicuti partus nimis acceleratus, et placenta ocius remota. Afferri vero haemorrhagia uteri potest, ea re, quod femina magnos labores suscipit, antequam uterus ad statum normalem rediit. Causa vero gravissima aeque ac frequentissima est atonia uteri, quae ex parte quidem causis supra enumeratis oriri potest. Praecipue hic status reperitur apud feminas laxas, tumidulas, quae vel multis graviditatibus partubusve debilitatae sunt, vel ubi aut liquor amnii nimis copiosus, aut foetus maior, aut partus celerior fuit. Cognoscimus hoc metrorrhagiae genus ex ea re, quod in exploratione externa uterum aut omnino non contractum, aut per breve tantum tempus, et tum rursus mollem, amplum et sacciformem, et abdomen molle sentimus; simul orificium uteri laxum et apertum est et dolores secundarii desunt.

Haemorrhagiam, quae post partum celeriori solutione placentae provocatur, si introrsum fit, omnino non, si extrorsum, e sequentibus tantum cognoscere possumus: pulsus debilior, facies pallida fit, vires collabuntur, et syncope saepe morti antecedit.

Prognosis.

Omnino quidem omnes haemorrhagiae uteri gravidi periculosae sunt, dynamicae vero minus, quam quae vulnerationibus, desorganisationibus similibusque causis exstiterunt. In genere haemorrhagiae sthenicae meliorem prognosin permittunt, quam erethicae, imo interdum criticae sunt; pessimae vero haemorrhagiae paralyticae sunt, exceptis iis, quae purpuram haemorrhagicam vel cachexiam scorbuticam comitari solent, quia contra morbos illos medicamenta efficacia habemus. Menstruatio rediens feminae gravidae parum nocet; contra saepe levamen affert; eo maius autem est periculum in vera haemorrhagia; nam persaepe abortus sequitur, idque eo facilius, quo copiosior sanguinis iactura, quo magis graviditas progressa, et quo debilior femina iam antea fuit. Pessimae vero illae sunt metrorrhagiae, quae e placentae separatione originem ceperunt. Nam si quoque nobis contingit, ut haemorrhagiam sedemus, tamen plurimis casibus redibit, praecipue, si magna pars avulsa est, ubi placentam iterum cum utero concreturam esse, exspectare non debemus, et partus artificialis hic unicum auxilium praebet. Si autem sanguis amissus, placenta impeditur, quominus extrorsum effluat, eheu! ne opinari quidem possumus, metrorrhagiam adesse.

Unaquaeque metrorrhagia, quacumque vi exorta, magnopere in graviditatem influit, eam perturbat, et saepenumero, quominus finem assequatur, prohibet, abortumque vel partum praematurum efficit. Sed fieri etiam potest, ut satis tarde, imo interdum omnino non

sequantur, etsi non amplius neque mater, neque infans servari possint; quare in omni haemorrhagia uteri summam medicus diligentiam atque prudentiam adhibeat necesse est, quia periculum nimium est, et si primum quoque paroxysmum compescere possumus, tamen nunquam, ne recidat, securis esse licet nobis.

Permultum pondus porro in prognosin habet sanguinis amissi quantitas, et qua effluxit celeritate. Leves haemorrhagiae, et quae sensim decurrunt, saepenumero omni periculo carent, et sponte desinunt; magnae contra, et in quibus sanguis vehementer prorumpit, feminam in maximum discrimen addigunt. Etenim in illis vasis ruptis tempus est, copiae sanguinis diminutae se accomodandi; dum magnae haemorrhagiae et subito intrantes celerrimam quoque et communem contractionem vasorum postulant, si cum contento congruere debent, quod longe difficilius esse neminem fugiet.

Deinde prognosis inde pendet, num placenta soluta sit, an velamenta foetus, quia vasa, quae priorem cum utero coniungunt, longe ampliora sunt, quam quae membranam deciduam utero affigunt, unde, placenta avulsa multo maiorem et vehementiorem haemorrhagiam effici clarum est. Magna debilitate, vel ipsa syncope haemorrhagiam sequente, prognosis praecipue a magnitudine et celeritate haemorrhagiae pendet, sed periculum adhuc augetur, si femina aegrota iam pluribus laboravit syncopis, quum non raro iam primus paroxysmus letalis fieri soleat. Magni momenti in prognosi statuenda etiam periodus graviditatis est. Etenim, quamquam et in primis mensibus metrorrhagia matri, magis-

que etiam foetui damno est, sic fere semper observatum est, haemorrhagiam magnam seriori tempore exortam nisi abortu vel partu artificiali, rarissime tantum plane sedari posse, idque propterea, quod, ut iam supra monui, in haemorrhagia magna semper et magna placentae pars separata est, et nunquam rursus cum utero concrescit, quo non facto semper metuendum est, ne serius ocius haemorrhagia redeat.

Magnum est etiam periculum in haemorrhagia passiva, altera parte, quia feminae, eiusmodi haemorrhagiis laborantes, plerumque iam valde sunt debilitatae; altera, quia hic sanguinis omissi copia fere semper maior et tenacior est. Ceterum prognosin veram si statuere cupimus, singulares uteri status abnormes respicere debemus, qui saepissime haemorrhagias provocant, quique, quippe qui plerumque longinqui et difficile vel omnino non tollendi sunt, libenter habituales, vel post omnes vel corporis, vel animi affectiones redeuntes haemorrhagias efficiunt, quapropter prognosin tantum dubiam permittunt, et repentinam mortem ex sanguine amisso, vel periculosos morbos secundarios e. c. cachexiam hydropicam, phthisin, variasve blennorrhoeas exoriri faciunt.

Porro prognosis in haemorrhagia interna multo peior est, quam in externa, partim ob diagnoseos maiorem difficultatem, partim ob magnam uteri extensionem, qua re praecipue novis iisque passivis haemorrhagiis favet. — Haemorrhagiae, graviditatem ovariam, tubariam, vel interstitialem sequentes, omnino lethales sunt: sanguis in cavum abdominis defluit et aegrota peritonitide gangraenosa moritur. Idem de ru-

ptura

ptura uteri dicendum est. Postquam enim infans una cum secundinis in cavum abdominis decidit, vehemens haemorrhagia, et maximam partem eundem in locum sequitur; et una cum infante, intestina premens matrem in maximum periculum ducit. Ut iam dictum, hic exitus fere semper tam matri quam infanti mortem affert; quae, si infans in cavum abdominis cecidit, repente, si autem in utero remanet, tardius sequitur. Extracto enim fructu inflammatio sequitur non tantum uteri, sed omnium organorum abdominis propter sanguinem illuc effusum, et mater peritonitide acuta vel chronica obit. Attamen rarissimis quibusdam casibus exitus non erat lethalis. Sic Kornax, medicus Viennensis, casum tradidit, ubi rupto utero infans quidem in cavum abdominis decidit, et magna primum sanguinis, tum ichoris copia ex utero defluxit; femina autem sanuit et quatuor post annos ulceratione rudimenta fructus ex domicilio suo extrahebantur, dum mater hectica quidem fiebat, tempore vero plane restituebatur iterumque concepit. Similia etiam in actis Edinburgensibus, sicuti et in Siepoldi commentariis narrantur; nihilominus his rarissimis casibus exceptis tum tantum sanationem sperare debemus, quum infans non in cavum abdominis decidit, sed extrahebatur, et sanguis per vaginam extrorsum effluxit.

Malam prognosin etiam de ea haemorrhagia ponere debemus, quae atoniam uteri sequitur, quia magna et continua sanguinis iactura facillime lethalis fit. Eodem modo haemorrhagiae, quae scirrho vel aneurysmatibus, varicibusve ruptis oriuntur malae sunt prognoseos, quia pro tempore quidem eas sedare,

neque tamen, quominus redeant, certe impedire possumus.

Periculum porro cum quoque novo impetu valde augeri satis perspicuum est. Iam primus enim paroxysmus certam debilitationem relinquit, et clarum est, si haemorrhagia saepius redit, eamque ob rem tanquam habitualis fit, statu morboso systematis sanguiferi inde orto periculum valde augeri, et nisi gravida partu liberata sit, superiores impetus redituros esse. Primo quidem paroxysmo gravida raro magnopere afficitur; imo femina robusta atque plethorica magnam sanguinis iacturam facere potest, neque valde laborare videtur, quamquam re vera status eius talis est, in quali iam paullo plus sanguinis symptomata perturbantia afferret. Quisque novus impetus, praecipue, si brevi tempore et causis levissimis repetitur, finem graviditatis normalem comminuiturum, abortumque facturum verisimile est, et idcirco maximam prudentiam postulat.

Si periculum momentaneum, in quo aegrota versatur, constituere debemus, habitum eius constitutionemque ante haemorrhagiam, pulsum, copiam et celeritatem sanguinis profluvii respiciamus necesse est. Pulsus debilis, dum sanguinis profusio modice copiosa et celeris, aegrotaque antea sana erat, plerumque causam praetereuntem indicat, et brevi tempore post ad normam redit; pulsus autem, qui magnas, frequentioresque sequitur haemorrhagias, continuo minor fit, facile comprimi potest et mali ominis est. — Si impetus lethalis fit, debilitas crescit, pulsus palpitans, vix sentiendus, extremitates frigescunt, sudores algidi prorumpunt, et gemitus, singultus, subsultus, cro-

cidismus, syncope et convulsiones mortis instantis prodromi sunt.

Permultum etiam in prognosin tempore, quo medicus advocatur, pendet. Recto tempore accessiti, plerasque feminas servare possemus; si autem, antequam venimus, iam multum sanguinis amissum est, plerumque vires iam tantopere sunt debilitatae, ut raro tantum spem salutis dare possimus.

Iam vero, his absolutis, quum, quantum sit in variis metrorrhagiae generibus periculum, satis bene perscrutati simus, nil amplius restat, nisi quod de earum medela quoque, quae monenda sint, evolvamus, de qua ergo sequente capite erit sermo.

Therapia.

Quod primum curationem prophylacticam attinet, medicus gravidae omnes labores graviores, actionesque musculares interdicat, et ubi ab hoc praecepto discessum est, semper prima symptomata damni inde orti, vel actionis uteri debilitatae accuratissime observet.

Simulac vero metrorrhagia apparuit, aegrota in lectum se conferat necesse est, quo facto animo volvendum est, qua ratione certissime eam sedare, reditumque vitare possimus. Quam ob rem semper de proprietate casus diligenter nos certiores facere debemus ea re, quod uteri cervicem et orificium exploremus, indeque cognoscamus, num coagula sanguinis in ostiis vasorum, an placenta praevia, an nisus ad partum adsint. Eodem modo nobis persuadere debemus de copia

et celeritate fluxus cruenti, de eius effectu in matrem fructumque, et de causis, quae verosimiliter eius fuerint auctores. — Primum medici negotium iam est, haemorrhagiae vehementiam temperare, quod ubi contigit, sicuti res postulaverint, aut graviditatem ad finem perducet, aut infantem arte extrahet.

Prae omnibus ergo quies diligens et situs horizontalis iubenda sunt, et iam his solis nonnulla sanguinis profluvia desinunt, dum his neglectis nulla aegrota secura est; imo, superato etiam paroxysmo per nonnullos dies aegrota in lecto et vestibulo teneatur, duroque stragulo utatur necesse est.

Plerumque, antequam medicus arcessitur, aegrota iam lectum quaesivit, quin fluxus cruentus fortasse iam desiit (vasorum evacuatio partialis, status quidam syncopae similis, haemorrhagia allatus, metus et situs horizontalis hoc fecisse possunt), sed, quodcunque feramus consilium, quaeve medicamina iubeamus: nunquam ab aegrota discedere licet, nisi ipsi aeque ac circumstantibus periculum cuiusque negligentiae, et necessitatem celerrimi, si haemorrhagia rediret, nuntii, ante oculos posuimus. Si vero flumen cruentum adhuc perdurat, medico in eo sedando haece se offerunt indicationes.

Primum causae, quae haemorrhagiam vel effecerunt, vel sustinent, removendae sunt, qua de re omnia vestimenta arctiora, quae liberum sanguinis circuitum atque praecipue per vasa abdominalia praescindunt, deponenda sunt, aegrota quieti se dare et omnes tam animi, quam corporis excitationes vitare, aer in vale-

tudinario purus, subfrigidus, lectus non calidior esse debet etc.

Iam, his absolutis, indolem fluxus cruenti dynamicam respiciamus necesse est.

Raro quidem sthenia praevalet, quia ipsa sanguinis iactura iam sublata est. Si autem symptomata sthenici profluvii, vel adeo metritidis apparent, methodus antiphlogistica est adhibenda. Primum remedium, quod secundum principia therapiae generalis se offert, est venaesectio in brachio et hirudines medicinales ad genitalia applicatae; atque in illis casibus, ubi haemorrhagia aucta vasorum actione vel statu plethorico exorta est, detractio sanguinis, tempore instituta, aliisque remediis adiuta, maximi ponderis est, non solum ad praesentem paroxysmum supprimendum, sed etiam ad seriorem quemque praecavendum. His autem casibus exceptis, venaesectio contraindicata et aliis remediis antiphlogisticis utendum est, sicuti omnino et in haemorrhagia modice sthenica sufficiunt. Huc praecique pertinet Kali nitricum depuratum, saliaque neutralia frigerantes leneque evacuantes, ut Tartarus vitriolatus, Sal mirabile Glauberi, Tartarus natronatus et boraxatus etc.; item acida vegetabilia et mineralia, praecipue acidum sulphuricum sub forma Elixirii acidi Halleri; simul potus, aër et lectus frigidi, et requies, cruce sublata, alteroque femore alteri superposito. — Permagni momenti in haemorrhagia sthenica frigus etiam est exterius applicatum. Propterea compressas, aqua frigida imbutas cruci vulvaeque, et aucto totius corporis calore brachiis etiam et femoribus imponimus, aëri recenti liberum aditum permittimus et omnia calefacien-

tia amolimur, donec effectus in vasa conspicitur, qui simulac apparuit, non modo non amplius pro utili, sed adeo pro noxio habendus est calor; et unum quod medico hac sub conditione faciendum, est, ut calorem, temperaturam consuetam excedentem retineat. Quin fieri etiam potest, ut ipsum calorem applicare debeamus, idque quidem tum, quum sanguinis profluvium, praesertim serioribus in paroxysmis, tam vehemens est, vel tam diu duravit, ut temperatura corporis nimis diminueretur vel vires nimis debilitarentur, qua sub rerum conditione pannos calefactos extremitatibus et regioni epigastricae imponamus necesse est. — Si autem, his omnibus tentatis, tamen non contingit, ut profluvium sanguinis sedemus, glomum in vaginam usque ad orificium uteri inferimus, qui semper haemorrhagiam cohibet et saepe unicum auxilium fert. Efficit coagulationem sanguinis in ostiis vasorum, et ubique eam adhibere debebamus, si fluxus tam vehemens est, ut vitae periculum instet. Et si vero glomi utilitas tam magna est, et in primis paroxysmis, ubi orificium uteri adhuc firmum est, vixdum methodus minus periculosa magisque efficax exstet, si haemorrhagiae sedationem matrisque salutem spectamus, tamen, si fluxus cruentus vel nimius erat, vel saepius rediit, et res actum efficaciorem, ipsamve liberationem a partu requirunt, tum glomus non amplius convenit. Nam haemorrhagia quidem, quominus in lucem proferatur prohibere possumus; sed facile evenit, ut sanguis in utero retineatur et aegrota haemorrhagia interna exspiret.

Saepius indoles haemorrhagiae erethica reperitur, praecipue apud feminas teneras in spasmos procli-

ves, agrypnia, spasmis, pulsu frequente, inaequali, parvo, pallore, extremitatibusque frigidis laborantes. Hic remedia antispasmodica, Digitalis et Acida mineralia, loco suo sunt. Prae omnibus autem Opium addito acido sulphurico commendata sunt. — Permultum etiam prosunt iniectiones per anum antispasmodicae, coniunctae cum Opio, porro Ipecacuanha parva dosi, optime sub forma pulveris Doweri; simul cibi faciles concoctu, et serius medicamina e classi Roborantium: Elixirium vitrioli Mynsichtii et China.

Indoles paralytica denique ob magnum periculum remedia irritantia et adstringentia postulat. His in haemorrhagiis valde laudantur Tinctura cinnamomi ad gtt. XX—XXX cum aqua vel vino; Stark corticem cinnamomi commendat, dum Pet. Frank eo metrorrhagiam non raro in peius versam esse observavit. Tilenius oleum Cinnamomi ad gtt. ij — vj pd. praedicat. — In aliis remediis, quorum utilitas in haemorrhagiis paralyticis maxime probata est, praecipue numeratur decoctum ex pomis aurantiis viridibus, nec minus alia medicamenta adstringentia, etsi interius porrecta saepissime spem nostram fallunt. Praestantissimum eorum est alumen sub forma pulveris vel solutionis, praecipue addito Gummi Kino, Sanguine Draconis aliisve eiusmodi. — Sub finem curae Serum lactis aluminatum praedicatur, porro acida mineralia magnis dosibus: Ferrum sulphuricum gr. ij — vj. pd., vel Tinct. Ferri muriatici oxydulati gtt. v — x.; Wedekind Sabinam commendat. — Iniectiones adstringentes in haemorrhagia vehemente raro prosunt, imo abluendo coagula saepe nocent. Contra et hic glomus utilissimus. Opti-

mum est frustum glaciei, linteo bene involutum, sed urgente periculo solum linteum acido sulphurico imbutum sufficit.

Ceterum omnibus in casibus Burns plenam dosin Opii porrigere suadet ad irritationem temperandam, praecipue in primo paroxysmo et ubi non partum artificialem spectamus.

Aliam medelae indicationem tempus praebet, in quod haemorrhagia incidit. Menstruatione perdurante sufficit, si aegrota requietem observat, omniaque vitat, quae congestiones ad uterum efficiunt. Haemorrhagiae autem verae maximam diligentiam poscunt. Haemorrhagia si in primo graviditatis dimidio occurrit, causa remota, secundum indolem suam dynamicam tractatur; si sthenica est, methodus debilitans, si erethica antispasmodica remedia, exterius clysmata ex Aceto, cataplasmata frigida ex Acido sulphurico, vel solutione Aluminis parata, iniectiones et ipse glomus indicata sunt. Si tamen abortus sequitur, haemorrhagia interdum sponte desinit, aliis casibus vero non, praecipue si rudimenta placentae vel velamentorum foetus remanserunt. Hic iniectiones spirituosae ea removere debent.

Si haemorrhagia placenta vel velamentis foetus ex parte solutis orta est, medela secundum causas variat; semper vero statim situs horizontalis iubendus est. Praecedente vi externa semper venaesectio in brachio indicata est, interius Opium in emulsione addito sale neutrali; si congestiones profluvii sanguinis fuerunt, constitutione non vetante et hic quidem vena aperienda, tum autem secundum indolem dynamicam modo Nitrum

aliaque Antiphlogistica, modo Antispasmodica porrigenda sunt. Si haemorrhagia uteri in altero graviditatis dimidio placenta oblata exsistit, secundum statum corporis modo remediis debilitantibus, acidisque mineralibus interius porrectis, modo Opio utendum; venaesectio raro tantum postulatur, nisi magna congestionum symptomata conspiciuntur. Fluxu vehementiori glomum usque in orificium uteri inferimus et apparentibus symptomatibus partus praematuri sanguinis flumini tam diu tantum moderamur, donec orificium satis apertum partum artificialem permittat. — Eadem est medela haemorrhagiae huius in parturientibus.

Haemorrhagia uteri parturientium ex placenta maturius soluta vel rupto funiculo umbilicali celerem a partu liberationem postulant, ut uterus in se ipsum redire possit. Fluxu sanguinis e tardiori partu exorto ob atoniam uteri dolorumque ad partum absentiam Tinctura Cinnamomi, Aethere, Secali cornuto aliisque eiusmodi remediis eos impellere fluxuique temperare debemus.

Magni momenti est medela haemorrhagiae uteri e placenta praevia post partum artificialem. Placenta ex parte soluta omnino solvatur et removeatur necesse est, et nulla conditione relinqui debet. Internis medicaminibus vires firmare, contractiones uteri provocare et effectum operationis in systema nervorum temperare quaerimus; exterius fomenta regionis uteri frigida, iniectiones irritantes per vaginam et secutis contractionibus diligens applicatio glomi, quia profluvium sanguinis ob difficiliorem huius partis contractionem, e collo uteri saepius perdurat; et sanguinis inopia magna transfusio instituenda.

Metrorrhagiae puerperarum hoc modo medemur: si, ne atonia uteri sequatur, metuendum est, ut potissimum apud gravidas laxa constitutione pelvique ampliori instructas, quominus celerius partus absolvatur impediendum est; tales feminae iacentes partum edere et subinde Analeptica sumere debent; tum caute velamenta foetus rumpimus et infantem tarde et sensim per vaginam labi sinimus, praesertim ubi dolores ad partum efficaces desunt. — Si tamen post partum atonia uteri et haemorrhagia sequuntur, ut cito uterus se contrahat, ad medicamenta celeriter incitantia confugere debemus. — Inprimis huc pertinent: Tinct. Cinnamomi c. Aethere, Ol. Cinnamomi, continuae frictiones regionis uteri vola manus, donec in se ipsum redeat, conspersiones abdominis aqua frigida, fomenta frigida ex aqua, aceto, vel nive, vel frustum glaciei genitalibus impositum; porro iniectiones irritantes, interdum etiam compressiones abdominis fasciis conveniunt. Summis in angustiis, si omnia alia nihil valuerunt, manu in uterum illata, coagula sanguinis amolimur, uterum lenibus manipulationibus ad contractiones incitamus, et, si haemorrhagia stetit, per aliquod adhuc temporis spatium manum in utero tenemus. Quum syncope et vitae periculum fluxum sanguinis sequuta sunt, primum Analeptica, Moschus, Aether, Tinct. Opii, Castorei, Infus. Serpentariae, Valerianae etc., tum fomenta spirituosa calida ad caput et pectus indicata sunt, dum haemorrhagia etiam durante frigidae fomentationes abdominis continuantur. — Sicuti haemorrhagia desiit, fasciae, extremitatibus circumpositae utilissimae sunt, quia vasibus, atque praecipue cordi et pulmonibus sanguinem

deficientem afferunt. Haemorrhagiae corporibus alienis, ut rudimentis placentae velamentorum foetus, coagulisve sanguinis exortae, iniectiones postulant ad illa removenda, quibus, si spasmo retinentur, antispasmodica sunt addenda. — Varicibus ruptis spongiam medicamentis spirituosis madidam vel pulvere styptico conspersam inferimus. Vase sanguifero rupto et sanguine in telam cellulosam effuso, infiltrationem resolvere quaerimus, quod nisi contingit incisione quominus sanguis in cavum abdominis defluat, impedire debemus.

Quum vero his omnibus tentatis, nihilominus haemorrhagia non desinit, talibus medicamentis utendum est, qualia experientia magistra in haemorrhagiis uteri efficacissima fuerunt, qualiaque praecipue nominantur styptica. Conveniunt vero in haemorrhagiis uteri tantum paralyticis; in sthenicis iisque, quae e metritide chronica pendent, facile inflammationem et desorganisationes uteri efficere possunt, et in profluviis erethicis ad minimum incitantia styptica vitanda sunt, quia haemorrhagiam modo augerent. Magnum stypticorum numerum, quae in metrorrhagia probata sunt, apte in tres classes dividere possumus.

Primus ordo ea complectitur remedia, quae derivando iuvant, quibusque adnumerantur venaesectiones exiguae, emetica, cucurbitulae siccae et vesicatoria, balnea brachiorum etc.

Secunda classis ea remedia continet, quae interius porriguntur, quibusque adscribuntur acida mineralia, Gummi Kino, Sanguis Draconis, Ferr. sulphur. aliaque adstringentia, omnia autem contra atonicas

tantum haemorrhagias exhibenda sunt. Recentiori tempori et Secale cornutum ad gr. vj — x commendatum est.

Tertius ordo medicamina exterius applicanda complectitur. Le Roux glomum adhibet, sed hoc non aptum, quum certe non impediat, quominus sanguinis profluvium internum exsistat. In haemorrhagiis post partum exortas iniectiones adstringentes ex Alumine, Ferro sulphurico, Spiritu frumenti aliisque rebus paratae bene serviunt, sicuti eiusmodi fomentationes genitalibus impositae; attamen non nimis acres esse debent, ne uterum inflamment. Propterea et fomentationes frigidae abdominis sub debita cautela tantum adhibenda sunt; magis iam conveniunt frictiones regionis uteri, abdominisque compressiones.

Ceterum medicum diaetam et regimen aptum secundum haemorrhagiae uteri causas et naturam praescribere debere satis clarum est; et ea conditione sola, quod his omnibus indicationibus satisfacit, aegrotam se morti erepturum esse, sperare debet.

VITA.

Ego Fridericus Guilelmus Wendt, natus sum quarto die mensis Martii anni huius saeculi duodecimo in vico, prope Mariae insulam sito, cui Litschen est nomen, patre Godofredo et matre Carolina, e gente Grabowska, et confessioni Lutheranae addictus. Prima litterarum elemente privata institutione edoctus, per quatuor annos et dimidium gymnasium Mariae insulanum, t. t. Directore Cl. Ungefug florens, frequentavi, inde gymnasium Elbingensem et post tres annos Regiomontum me contuli, ubi gymnasio Kniphoviano per annum frequentato, Rectore Cl. Lucas, testimonium maturitatis secundum nactus, dimissus in alma universitate Albertina per quinque semestria hisce interfui scholis.

Cl. de Baer de zoologia, organologia et neurologia; Cl. Burdach II. de anatomia speciali; Cl. Dulk de chemia et pharmacia; Cl. Meyer de botanice; Cl. Moser de physice experimentali; Cl. Rosenkranz de logice et psychologia; Cl. Sachs de pathologia tam generali quam speciali; Cl. Dietz de materia medica; Cl. Burdach I. de physiologia et anatomia generali. Artem cadavera rite secandi Cl. Burdach II. me docuit.

Paschali tempore anni praeteriti Halam me contuli, ibique per tria semestria hasce frequentavi scholas:

Cl. Krukenberg de pathologia speciali; Cl. Blasius de chirurgia, akiurgia, de operationibus ophthalmiatricis, de fracturis luxationibusque et de syndesmologia; Cl. d'Altón de anatomia; Cl. Niemeyer de arte obstetricia.

Scholas clinicas, medicam Cl. Krukenberg per annum et semestre, chirurgicam Cl. Blasii per annum, obstetriciam Cl. Niemeyer per semestre frequentavi.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, maximas quas possum habeo semperque habebo gratias.

THESES.

1.

Diabetes sanguinis morbus, non renum.

2.

Blennorrhoea nil nisi exitus inflammationis.

3.

Strepitus placentalis non semper placentae sedem indicat.

4.

Generatio aequivoca exsistit.

5.

Punctio vesicae urinariae supra symphysin ossium pubis instituta ceteris methodis praeferenda est.

6.

Nullum certum virginitatis signum exstat.